

Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. *Camerac. 1.*

Purus amor ipse solus constituit novam vitam interiorē, et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt. *Camerac. 23.*

DE OPPOSITIONE CHARITATIS CUM PECCATO. Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. *Bai. 31.*

Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. *Bai. 32.*

Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum quæ in Baptismi lavacro demum percipitur. *Bai. 33.*

Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. *Bai. 76.*

DE NECESSITATE CHARITATIS. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. *Bai. 16.*

Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt. *Quesn. 46.*

Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interioris, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est; quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis aut falsa justitia. *Quesn. 47.*

Ut nullum peccatum est sine amore nostri; ita nullum est opus bonum sine amore Dei. *Quesn. 49.*

Frustra clamamus ad Deum: *Pater mi*, si Spiritus charitatis non est ille qui clamat. *Quesn. 50.*

Sola Charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Jesum Christum. *Quesn. 53.*

Sola charitas est quæ Deo loquitur: eam solam Deus audit. *Quesn. 54.*

Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu et alio motivo, in vanum currit. *Quesn. 55.*

Deus non remunerat nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat. *Quesn. 56.*

Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas. *Quesn. 58.*

DE PRÆCEPTO CHARITATIS. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum eliceret in vita, condemnare non audemus. *Innoc. XI. A. 5.*

Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. *Innoc. XI. A. 6.*

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possimus. *Innoc. XI. A. 7.*

Bonitas objectiva consistit in convenientiâ objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum: ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio neque in decursu vitæ suæ mortalitatis. *Alex. VIII. A. 1.*

DE AMORE PROXIMI. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. *Innoc. XI. A. 10.*

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. *Innoc. XI. A. 11.*

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. *Innoc. XI. A. 13.*

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. *Innoc. XI. A. 14.*

Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. *Innoc. XI. A. 15.*

DE ELEEMOSYNA. Vix in Secularibus, etiam in Regibus, invenies superfluum statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. *Innoc. XI. A. 12.*

DE JUSTITIA.

DE JUDICE. Quando litigantes habent pro se opiniones æquæ probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. *Alex. VII. B. 26.*

Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. *Innoc. XI. A. 2.*

DE USURA. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. *Alex. VII. C. 42.*

Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. *Innoc. XI. A. 40.*

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuuario exigere, et eo titulo ab usura excusari. *Innoc. XI. A. 41.*

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. *Innoc. XI. A. 42.*

DE FURTO. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. *Innoc. XI. A. 36.*

Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt. *Innoc. XI. A. 37.*

DE RESTITUTIONE. Non tenetur quis sub pœna mortali restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcumque magna sit summa totalis. *Innoc. XI. A. 38.*

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati. *Innoc. XI. A. 39.*

DE CALUMNIA. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere. *Innoc. XI. A. 43.*

Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui,

ut suam justitiam et honorem defendat; et si hoc non sit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologia. *Innoc. XI. A. 44.*

DE DEFENSIONE OCCISIVA. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur. *Alex. VII. B. 17.*

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. *Alex. VII. B. 18.*

Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. *Innoc. XI. A. 30.*

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. *Innoc. XI. A. 31.*

Non solum licitum est defendere occisiva defensione quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus. *Innoc. XI. A. 32.*

Licitum est tam hæredi quam legatario, contra injuste impediendam ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedram vel præbendam, contra earum possessionem injuste impediendam. *Innoc. XI. A. 33.*

DE PROCURATIONE ABORTUS. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. *Innoc. XI. A. 34.*

Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tum primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. *Innoc. XI. A. 35.*

DE DUELLO. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. *Alex. VII. B. 2.*

Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret sive offerat sive acceptet duellum. *Benedict. XIV. 1.*

Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanæ vilipensionis gratia duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse securam, utpote ab aliis impediendam. *Benedict. XIV. 2.*

Non incurrit ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii. *Benedict. XIV. 3.*

Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit. *Benedict. XIV. 4.*

Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis

male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus justitia aperte denegatur. *Benedict. XIV. 5.*

DE RELIGIONE.

DE ORATIONE. Qui resignatus est divinæ voluntati, non debet a Deo quidquam petere; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est quodammodo velle ut divina voluntas nostræ se conformet, et non nostra voluntati divinæ: et illud: *Petite et accipietis*, ex Evangelio, non fuit dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem: quin et istæ eo deveniunt, ut non possint a Deo quidquam petere. *Molin. 14.*

Unde sicut nihil a Deo debent rogare, sic etiam non debent reddere illi gratias pro ulla re, quia utrumque est æqualiter actus propriæ voluntatis. *Molin. 15.*

Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate. *Molin. 18.*

Quæcumque cogitationes inter orandum accidunt, etiam impuræ, quin et contra Deum et Sanctos, contra fidem et Sacramenta, si non voluntarie foveantur, neque actu aliquo voluntatis rejiciantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerantur, non impediunt orationem fidei; imo illam reddunt perfectiorem, quia anima est magis resignata voluntati divinæ. *Molin. 24.*

Tametsi superveniat somnus et dormiatur, omnino tamen oratur, et contemplatio fit actualiter; quia oratio et resignatio, resignatio et oratio totum est idem; et quamdiu continuatur resignatio, utique etiam oratio continuatur. *Molin. 25.*

Deo gratias agere lingua vel verbis non est animarum internarum, quarum est in silentio se tenere, non præbentes Deo impedimentum, quo minus in iis operetur, et quanto amplius se Deo resignant, tanto magis experiuntur impotentiam dicendi: *Pater noster*. *Molin. 34.*

Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illi concedit, est novum in eos iudicium. *Quesn. 59.*

P. P. 31. Propositio Synodi enuntians conveniens esse, pro divinorum Officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque Templo unum tantum sit altare, sibi que adeo placere morem illum restituere, — Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc seculis in Ecclesia præsertim Latina vigenti, et probato mori injuriosa.

P. P. 32. Item præscriptio vetans ne super Altaria sacrarum Reliquiarum thecæ floresve apponantur, — Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.

P. P. 33. Propositio Synodi qua cupere se ostendit ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad Liturgiæ ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et elata voce proferendo*; — Quasi vigens ordo Liturgiæ ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum quibus illa regi debet; — Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

P. P. 64. Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat *quæcumque*

efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum; — Tanquam supersticiosa censenda esset efficacia quæ sumitur, non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ, certum numerum precum vel externarum actionum præfinientis, pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo; — Falsa, temeraria, scandalosa, pernicioosa, pietati Fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, errœnea.

P. P. 65. Propositio enuntians *irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt Exercitia, vel Missiones...., forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura;* — Temeraria, male sonans, pernicioosa, mori pie salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa.

P. P. 73. Propositio enuntians novorum Festorum institutionem, ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earumdem Solemnitatum, originem duxisse, — Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

P. P. 74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem Dominicum Festis per annum institutis, idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi, diebus in quibus ex pristina Ecclesiæ lege viget etiamnum id præceptum, tum etiam in eo quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis; — Quatenus adstruit Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro Festis jejuniisve celebrandis, aut indictum Missæ audiendæ præceptum abrogare, — Propositio falsa, juris Conciliorum Generalium et Summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.

De Voto. Vota faciendi aliquam rem sunt impeditiva perfectionis. *Molin. 3.*

Superioribus obediri debet in exteriori, et latitudo voti obedientiæ Religiosorum pertingit solummodo ad exterius: aliud est in interiori, quo solus Deus et Director intrant. *Molin. 63.*

DE JURAMENTO. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. *Innoc. XI. A. 24.*

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. *Innoc. XI. A. 25.*

Si quis vel, solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel aliud quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. *Innoc. XI. A. 26.*

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa. *Innoc. XI. A. 27.*

Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramen-

tum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. *Innoc. XI. A. 28.*

Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. *Quesn. 101.*

P. P. 75. Doctrina quæ perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiæ, juramenta visa esse a documentis divini Præceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine Christiano indignus; insuper continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse; indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ Curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam secuta, in Investituris et in sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit; statuitque adeo implorandam a seculari potestate legem, pro abolendis juramentis quæ in Curia etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali, — Falsa, Ecclesiæ, injuriosa, juris ecclesiastici læsiva, disciplinæ per Canones inductæ et probate subversiva.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. *Innoc. XI. A. 47.*

DE BREVIARIO. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna. *Alex. VII. B. 20.*

Habens capellaniam collativam aut quodvis beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. *Alex. VII. B. 21.*

Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quas-cumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. *Alex. VIII. C. 33.*

In die palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto. *Alex. VII. C. 34.*

Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsentis et crastino. *Alex. VII. C. 36.*

Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. *Innoc. XI. A. 55.*

DE SIMONIA. Non est contra justitiam Beneficia non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. *Alex. VII. B. 22.*

Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel

efficiendi Spirituale; vel etiam, quando temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra. *Innoc. XI. A. 43.*

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi Spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res Spiritualis. *Innoc. X. A. 46.*

DE CONTEMPLATIONE.

DE EJUS UTILITATE. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non peccandi amplius seu mortaliter seu venialiter. *Molin. 57.*

DE ILLIUS MODO. Dicere in oratione utendum esse discursu et cogitationibus cum Deus non loquitur animæ, est ignorantia. Deus non loquitur unquam; illius loqui est operari, semperque in anima operatur, dum ista suis discursibus, cogitationibus et operationibus eum non impedit. *Molin. 20.*

In oratione manendum est in fide obscura et universali, cum quiete et oblivione omnis alterius cogitationis particularis et distinctæ attributorum Dei et Trinitatis, atque standum in præsentia Dei ad eum adorandum, amandum, eique serviendum, verum sine productione ullorum actuum; Deus namque id genus rebus non delectatur. *Molin. 21.*

Non est hæc cognitio fidei actus quispiam productus a creatura, sed cognitio quædam illi a Deo data, quam creatura non novit se habere, neque adeo postea scit se habuisse; idemque dicendum de amore. *Molin. 22.*

Mystici, cum S. Bernardo in *Scala Claustralium*, distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem et contemplationem infusam. Qui semper est in primo, nunquam transit ad secundum; qui semper est in secundo, nunquam ad tertium pertingit, quæ est contemplatio nostra acquisita, ubi consistendum est tota vita, dummodo Deus non trahat animam nihil tale expectantem ad contemplationem infusam: et hac cessante, redeundum est animæ ad gradum tertium, et in eo consistendum, non amplius revertendo ad secundum aut primum. *Molin. 23.*

Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, is nec desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum: et qui per viam internam incedit, male facit eam desiderando et habere conando, sive in locis sacris, sive in diebus solemnibus. *Molin. 27.*

Cum anima interne fastidit discursus de Deo et virtutibus, manetque frigida, non sentiendo se ad fervorem accendi, bonum signum est. *Molin. 29.*

Quidquid sensibile in vita spirituali percipitur, illud omne abominabile est, sordidum et immundum. *Molin. 30.*

Male facit anima, quæ via ista interna graditur, si diebus solemnibus facere velit conatum aliquem particularem ad habendum sensum aliquem devotionis; quia animabus internis omnes dies sunt pares, omnes festi; idemque est de locis sacris, cum omnia loca his animabus sint paria. *Molin. 33.*

Ad ejusmodi statum (*contemplationis acquisitæ*) pervenitur non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus nascuntur ex reflexione. *Molin. 58.*

In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ, amittitur omne motivum interessatum amoris et Spei. *Camerac. 2.*

Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur.... Istâ compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati. *Camerac. 15.*

Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectæ ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tum non amplius indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos. *Camerac. 16.*

Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis... Primo, in fervore nascente earum contemplationis.... Secundo anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus. *Camerac. 17.*

DE DISPOSITIONE AD CONTEMPLATIONEM. Theologus minus est dispositus, quam simplex et idiota, ad hoc, ut sit contemplativus; primo, quia non habet fidem tam puram; secundo, quia non est tam humilis; tertio, quia non curat perinde desua salvatione; quarto, quia habet caput plenum phantasmatis, speciebus, opinionibus et speculationibus, etc. in eum nequit verum lumen intrare. *Molin. 64.*

DE PERFECTIONE.

DE CONSTITUTIVIS PERFECTIIONIS. Necessarium est annihilare potentias, et hæc est via interna. *Molin. 1.*

Velle operari active est offendere Deum, qui vult solus agens esse, et ideo necesse est derelinquere se in illo, et deinde se habere corporis mortui instar. *Molin. 2.*

Activitas naturalis est inimica gratiæ, et impedit operationem Dei et veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis. *Molin. 4.*

Anima nihil operando annihilat se, et redit ad suum principium et ad suam originem, quæ est essentia Dei, ubi manet transformata et divinizzata; et tunc Deus manet in se ipso; quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una sola, et sic vivit et regnat Deus in nobis, et anima se annihilat in esse operativo. *Molin. 5.*

Interna via est illa in qua non cognoscitur aut lumen aut amor aut resignatio, neque necessarium est cognoscere Deum, et sic bene proceditur. *Molin. 6.*

Non debet anima cogitare aut præmium aut pœnam, aut paradysum aut infernum, aut mortem aut æternitatem. *Molin. 7.*

Non debet velle scire an ambulet cum voluntate Dei, an sit resignata illi vel non; nec est necesse ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihilum; sed sese habeat quasi corpus mortuum. *Molin. 8.*

Non debet anima memor esse vel sui ipsius, vel Dei, vel ullius rei, et in via internâ omnino reflexio est nociva, etiam reflexio supra suas actiones humanas ac proprios defectus. *Molin. 9.*

Qui dedit liberum arbitrium Deo, non debet curare de ulla re, nec de inferno, nec de paradiso, nec de habendo desiderio suæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, a cujus etiam spe se purgare debet. *Molin. 12.*

Dum consignatum fuerit liberum arbitrium Deo, illi debet relinqui cura et cogitatio omnium rerum nostrarum, et permitti ut in nobis sine nobis faciat divinum suum velle. *Molin. 13.*

Tres hæc viæ, purgativa, illuminativa et unitiva, ineptia est maxima, quæ nunquam prolata sit in ipsa Mystica; cum non sit nisi via unica; id est, via interna. *Molin. 35.*

Animabus hujus viæ internæ non convenit ut faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate; alioquin mortuæ non forent: nec debent facere actus amoris erga D. Virginem, Sanctos, Humanitatem Christi; quia, cum hæc sint objecta sensibilia, talis est amor erga illa. *Molin. 12.*

Nulla creatura, neque D. Virgo nec Sancti sedem habere debent in corde nostro, quia Deus solus vult occupare illud et possidere. *Molin. 36.*

Spirituales illi viæ ordinariæ in hora mortis se delusos et confusos inveniunt cum omnibus passionibus in altero mundo expurgandis. *Molin. 54.*

Via interna separata est a confessione, a Confessariis et casibus conscientiæ, a Theologia et a Philosophia. *Molin. 59.*

Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest ultra velle aliud, quam vult Deus, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illam ipsi admittit. *Molin. 61.*

Per viam internam pervenitur ad continue consistendum immobiliter in pace quadam imperturbabili. *Molin. 62.*

Id quod est essentielle in directione animæ, est non aliud facere quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiori incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare aut in perturbationem conjicere. *Camerac. 3.*

In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ non fideliter cooperatur. *Camerac. 4.*

In eodem statu sanctæ indifferentiæ, nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem et beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere ut velimus res istas impressione suæ gratiæ. *Camerac. 5.*

In hoc statu sanctæ indifferentiæ nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum. *Camerac. 6.*

In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult: amplius et amor zelotypus simul efficit ne quis sibi virtutem velit, nec unquam adeo sit virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est. *Camerac. 18.*

Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et desinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult. *Camerac. 19.*

DE ADJUMENTIS PERFECTIONIS. Bonum est tædium rerum Spiritualium, quia sic ab amore proprio expurgamur. *Molin. 28.*

B. Virgo nunquam opus aliquod externum fecit, et omnium Sanctorum fuit sanctissima: igitur perveniri potest ad Sanctitatem sine opere externo. *Molin. 40.*

Deus, ut nos humiliet, et ad veram transformationem pertingere faciat, permittit et vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptiis, ut Dæmon operetur violentiam in earum corporibus, illasque committere faciat actus carnales etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo illis physice manus aliaque membra contra earum voluntatem: et idem dicendum est in ordine ad actus alios per se peccaminosos; quo casu non sunt peccatum, quia non adest consensus. *Molin. 41.*

Potest dari casus, quo hæc violentiæ ad actus carnales existant in eodem tempore ex parte duarum personarum, et consequatur actus ex parte amborum. *Molin. 42.*

Deus temporibus præteritis faciebat Sanctos per medium tyrannorum; hodie eos facit per medium Dæmonum, qui, dum illis causant dictas violentias, facit ut ii magis se vilificent et annihilent in se ipsis, seque in Deo resignent. *Molin. 43.*

Job blasphemavit, et tamen in eo non peccavit labiis suis, quia id fuit per violentiam Dæmonis. *Molin. 44.*

Sanctus Paulus passus est in suo corpore tales violentias Dæmonis, unde scripsit: *Non, quod volo bonum, hoc ago; sed, quod nolo malum, hoc facio.* *Molin. 45.*

Hæc violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam ad veram transformationem et unionem, neque alia est via faciliior et securior. *Molin. 46.*

Cum hæc violentiæ accidunt, oportet sinamus Satanam agere, non utendo propria industria aut viribus, sed consistendo in nihilo nostro; ac tametsi accidant pollutiones, atque etiam his magis insolita et peregrina, non opus est his inquietari; sed excludendi sunt scrupuli, dubia, timores; quia anima magis illuminata robustiorque et candidior efficitur, et acquiritur sancta libertas. At imprimis non oportet ea confiteri, fitque sanctissime illa non confitendo; quia sic vincitur Dæmon, et thesaurus quidam pacis obtinetur. *Molin. 47.*

Satanas, qui facit tales violentias, suggerit deinde esse graves defectus, ad inquietandam animam, ut non progrediatur in via interna: unde ad tollendas illi vires præstat ea non confiteri, quia nequidem sunt peccata venialia. *Molin. 48.*

Job per violentiam Dæmonis faciebat pollutiones manibus suis eo ipso tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces.* *Molin. 49.*

David, Jeremias, et multi e Prophetis Sanctis patiebantur ejusmodi violentias harum impurarum operationum externarum. *Molin. 50.*

In Scriptura Sacra multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut Samsonis, qui per violentiam occidit seipsum cum Philistæis, uxorem duxit alienigenam, fornicatus est cum Dalila meretrice; quæ alias erant res prohibitiæ, et fuissent peccata. Item Judith, quæ mentita est Holoferni; Elisei, qui pueris maledixit; Eliæ, qui igne consumpsit duos